

Ecclesie emeretur, ut ejus occasione facilius esset aditus in Ecclesias.

XXVII. Eandem consuetudinem in Anglia viguisse colligitur ex Cap. 19. De Jure Patronatus in prima Collectione apud Ant. Augustinum; & habetur in appendice ad Concilium Lateranense parte 15. tit. De Jure Patronatus cap. 16. ubi Alexander III. scribit Wintoniensi Episcopo: Ad aures nostras per venit, quod R. & W. de Hortum jus Patronatus ejusdem loci ab eo, ad quem spectabat presentatio, emerunt. Quibus decedentibus R. filius W. jam dicti patris exemplo Jus patronatus Ecclesie emere non dubitavit, & Canonici de Stodleia tantas molestias intulit, persecutiones & gravamina, quod metu & dolo illius seducti, juri suo penitus renuntiarunt.

Ad hunc casum referendum esse responsum quod in dicta appendice capite sequenti immediate sequitur, sat apparet manifestum; & post Antonium Augustinum notat Franciscus Le Roy ad Cap. 16. De Jure patronatus. Responsum autem ita sonat: De Jure vero Patronatus in prescripta Ecclesia hoc tuae discretionis mandamus, quantum si predictis R. Jus Patronatus comparavit, cum hoc inconveniens sit & penitus inhonestum, vendi Jus patronatus contractum illum, sublato appellationis remedio; Apostolica fretus auctoritate, non differas revocare.

XXXVIII. Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compiler hoc Responsum retulit in Cap. 16. De Jure Patronatus, nonnullis detractis, & additis, ut ex utriusque collatione constare potest.

Notanda autem precipue haec addita: Quod est spirituali annexum: quibus innuere voluit, Jus Patronatus vel eo titulo vendi non posse, ac irritum esse contractum, quia spirituali est annexum. Hoc clarius exprimitur in citato cap. 19. in prima Collectione ad eundem casum spectante; ubi expressè dicitur: Cum Jus Patronatus sit connexum spirituali, nemini licitum est vendere illud: atque admodum verisimile est, Raymundum predicta verba ex hoc Cap. 19. primae Collectionis desumpsisse, & suae Decretali adjecisse.

Interim eodem fundamento postmodum usus quoque fuit Innocentius IV. in Rescripto quodam apud Matthaeum Parisiensem in additamentis pag. 104. dicens: Irritas esse decernimus alienationes, emptiones & venditiones Patronatus & Advocatus Ecclesiarum, quae cum sint spiritualibus annexa, cum & vendi nequeunt.

XXXIX. Et sane, cum jam pridem Jus Praesentationis Clerici ad Beneficium, tamquam precipuum in Jure patronatus habitum fuerit; imo ipsum Jus patronatus notitiam quam simpliciter Jus Praesentationis appelletur, negari nequit, quin spirituali aliquo modo sit connexum; tamen ea tenus dicatur profanum, in quantum ex patrimonio laicorum titulo fundationis aut dotationis solet habere originem; eique adherere.

XXX. Hinc uno consensu concludunt Interpretes, Jus patronatus per se ac simpliciter vendi, aut cum alio temporali jure commutari non posse; ipsamque alienationem tamquam Simoniacam esse irritam; refertque Joannes Marchal in suo Tractatu De Juribus honorificis cap. 1. duo Arresta, quibus judicatum fuit, Jus Patronatus separatim vendi non posse; venditionemque irritam esse. Aliud simile Arrestum refertur à Renato Choppino De Domano Regis lib. 3. tit. 19. n. 4.

XXXII. Quod verò plerique addunt, cum ipso fundo seu gleba, cui adheret, vendi posse; id non ita accipiendum, quasi ipsum Jus patronatus fundo adherens vendi possit existiment, sed dumtaxat, quod per venditionem fundi tamquam ejus accessorium in venditorem transferatur: ita ut revera dici queat, Jus patronatus transferri mediante venditione; at venditione non afficiente Jus Patronatus; sed ipsum dumtaxat fundum. Quemadmodum in venditione fundi hypothecati non venditur hypotheca, licet illa fundo inherens fundum sequatur.

XXXII. Unde in hujusmodi venditione fundi, cui Jus Patronatus adheret, pretium valori ipsius fundi, sine respectu ad ipsum Jus Patronatus, respondere debet, ut ita appareat, Jus Patronatus non vendi, nec pretio aestimari; sed simpliciter tamquam fundi venditi accessorium transferri.

Si enim pretium fundi ex consideratione Juris Patronatus adherentis augeatur, evidens erit, ipsum Jus Patronatus pretio temporali aestimari; & re ipsa, non secus ac ipsum fundum, partem seu mercedem ipsius venditionis constituere, & venditioni subijci.

XXXIII. Adhaec qui fundum pluris emunt, quia Jus patronatus annectitur; idque eo amplius quo plura & opulentiora Beneficia juri illi sunt subiecta, sat ostendunt, se profanam planè de jure praesentationis, quod potissimum attenditur, habere ideam, non dubitantes, sibi jus illud praesentationis facile valere eo pretio, quod ejus intuitu amplius pro fundo empto dederunt.

Haec autem ut consequantur, quid sperandum, nisi quod suo jure praesentationis eo modo utentur, ut queant etiam temporalia, aut iis aequalentia consequi; idque vel Simoniam, vel sanè personarum acceptione interveniente: & inde ulterius ea omnia incommoda; quae provisiones Simoniacas, & interveniente personarum acceptione factas conveniunt: quaeque fultus titulis De Simonia, & De concubina acceptione personarum exponemus; atque una ostendemus, quam fallà solet de Jure Patronatus idea haberi; quamque aberrant laici, hujusmodi jus affectantes.

CAPUT V.

De Praesentatione, & differentiis inter Patronum Ecclesiasticum & Laicum.

- 1. Praecipua pars juris patronatus est Praesentatio.
2. Revera distinguitur jus praesentationis à jure patronatus.
3. Potest esse patronus sine jure praesentationis: qui tamen hodie non patronus, sed Fundator vocari solet.
4. Olim patronus offerreba Clericum Ordinandum.
5. Hodie offert institutum, quae mutationis ratio?
6. Oblatio Clerici à patrono facta dicitur praesentatio; proliuque ex cura, quam patronus Ecclesia impendit.
7. An rectè inde deducatur, jus patronatus non esse servitutem.
8. Hodie Episcopus obligatur instituere praesentatum à Patrono.
9. Monebantur olim Patroni, ut praesentationem non vimium differrent.
10. An certum tempus Patronis olim fuerit praefixum?
11. Permissi Concilium Lateranense ut Episcopus Ecclesia provideat, si questio super jure patronatus intra certum tempus non sit terminata.
12. Creditum à Canonistis, hic tempus certum praesentandi laicis praescriptum; idque quatuor mensium.
13. Alexander III. scripsit, Patronis competere sex menses.
14. Hinc à Doctoribus facta distinctio inter jus patronatus laicum & Ecclesiasticum circa tempus praesentandi; & à Bonifacio VIII. probata.
15. Tempus Patronus tantum currit à tempore notae vacationis, & qua notitia haberi debeat.
16. Patronus laicus in praesentatione variare potest; non autem Ecclesiasticus.
17. Hac distinctio ex interpretatione Doctorum originem sumpsit.
18. Cur variatio patroni laici dicatur accumulativa.
19. Quod primum hujus distinctionis fundamentum.

29. Pa.

20. Patronus laicus variare tantum potest rebus integris.

21. Quare Patrono Ecclesiastico negata variatio.

22. An patronus laicus sapias variare possit?

23. Patronus Ecclesiasticus praesentans indignum excidit pro ea vice jure praesentandi.

24. Laicus alium praesentare potest; secus olim obtinuit.

25. Episcopus negligente patrono confert jure ordinario, non autem jure devoluto; & quare.

26. Collatio Episcopi spretio patrono est valida: & quis ejus effectus?

27. Non idem de praevisione aut provisione Papa; & quare ratio differentiae.

28. Quomodo collatio Ordinarii non noceat juri patroni.

29. Quando patronus dicatur Clericum praesentare?

30. Non tenetur patronus personaliter accedere Ordinarii.

31. Hodie praesentatio fit per litteras.

32. Praesentatio non est perfecta priusquam intimata sit Ordinarii.

33. Sufficit intra tempus praefixum litteras praesentationis à praesentato exhiberi Ordinario.

34. Litteris Ordinarii non exhibitis potest patronus Ecclesiasticus adhuc variare.

35. Ecclesiasticus à Papa praeveneri potest, litteris Ordinarii non intimatis.

36. Si littera intra tempus praescriptum non sint Ordinarii exhibitae poterit liberè conferre.

37. Si jus patronatus competeat pluribus in Corpore, debet praesentatio collegialiter fieri.

38. Quomodo nominatio persona praesentanda hoc casu faciendae?

39. Aliquando praesentatio à pluribus separatim fit.

40. Si à duobus patronis duo praesententur, electio erit Ordinarii.

41. Si suffragia dividantur inter plures, praesertur à pluribus praesentatus.

42. Quid si is insitui nequeat?

43. Quid si controversia sit, cui jus patronatus competeat?

44. Quid si sit inter Ordinarium & praesentatum patronum?

45. Possessor pendente lite praesentare potest.

46. Quis si noster sit in possessione, sed constet Ecclesiam esse patronatam?

I. Jus Patronorum potissimum consistere, praesertim hodie, in praesentatione, sive jure praesentationis Clerici ad Ecclesiam vacantem expeditum est. Et quidem in Cap. 1. De praebendis in 6. Jus Patronatus & jus praesentandi Rectorem Ecclesiae tamquam synonima accipiuntur à Pontifice.

II. Quin tamen reverà Jus patronatus & jus praesentandi distinguantur, dubitari nequit. Certum quippe est, patrono vi Juris patronatus plura jura praeter jus praesentationis competere; uti capite sequenti ostendetur. Hinc apertè Jus patronatus & jus praesentandi distinguuntur in Cap. 1. De Jure patronatus in secunda Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum.

III. Imò potest Patronus habere jura honorifica aliaque Patronis competentia, tamen si jus praesentationis non habeat; ut puta si juri praesentationis renuntiaverit, aut alteri cesserit, recento nihilominus Jure patronatus. Unde cum vidua Comitissae Flandriae exposuisset Innocentio III. quòd intenderet ad honorem Dei Ecclesiam fundare, peteretque in ea jus patronatus & Collationem praebendarum sibi & successoribus suis reservari; respondit Innocentius lib. 3. Regest. Epist. 192. primum admittimus; secundum vero non duximus concedendum; cum tua non expediat Van Espen Jur. Eccl. P. II.

saluti concedi. Hic collationem accipi pro praesentatione rectè notat ac probat Bosquetus ad dictam Epistolam Innocentii; una ostendens, Patronis prius jura honorifica, quam praesentationis fuisse indulta; adeoque jus praesentandi semper fuisse à Jure patronatus separatum: quamvis ambigi nequeat, quin hodie à jure praesentationis tamquam à principaliore sua parte nomen suum mutuare soleat; isque patronus dicatur, qui jus praesentationis habet; imo qui jus praesentationis non habet, patronus dici non solet, sed Fundator.

IV. Monuimus non semel, olim Beneficiorum collationem seu institutionem ab ipsa Ordinatione sejunctam non fuisse: sed in ipsa Ordinatione Clericos Ecclesiae adscribi solitos; atque per eam adscriptionem idem jus accepisse, quod hodie per Beneficiorum collationem seu institutionem acquiritur.

V. Hac disciplina vigente, Fundatores sive patroni Clericos offerebant Episcopo in Ordinatione; ut eos in Presbyteros Oratoriorum seu Ecclesiarum, quarum patroni erant, ordinarent; eosque per Ordinationem his Ecclesiae adscriberent.

Conformiter ad hanc disciplinam legitur apud Gratianum Caus. 16. quest. 7. Can. 32. ex Concilio Toletano IX. Decernimus, ut quamdiu Fundatores Ecclesiarum in hac vita superstitibus extiterint, pro iisdem locis curam permittantur habere sollicitam; atque Rectores idoneos in iisdem Basilicis, iisdem ipsi Episcopo offerant ordinandos.

Postquam autem ipsa Beneficiorum collatio sejunctae ab Ordinatione, nec amplius per Ordinationem; sed tituli Beneficialis collationem seu institutionem canonicam ipsi Clerici ceperunt Ecclesiae adscribi: tum patroni sive Fundatores non Ordinandos, sed in Beneficiis vacantibus instituendos Episcopo obtulerunt.

VI. Haec oblatio vocari solet praesentatio, quasi ipsi patroni seu Fundatores curam sollicitam Ecclesiarum à se vel Majoribus fundatarum habentes Episcopo offerant, sive praesentent, qui in harum Ecclesiarum ministros assumi possent.

Unde Gratianus inquirens, quid juris habeant Fundatores, ait: Habent jus providendi, & consulendi, & Sacerdotes invenendi; post Canonem 30. caus. 16. q. 7. Haec non obscure innuunt, Gratianum supposuisse, jus praesentandi oriri ex cura, quam Fundatores eorumve successores Ecclesiae fundatis impendere debent.

VII. Hinc infert Franciscus Le Roy in Prologo meo ad titulum De Jure Patronatus cap. 5. Jus patronatus non esse servitutem, neque Ecclesiae libertatem imminueret; quia (ait) "patroni nullum jus in Ecclesiarum collatione habent; sed eam jure suam, eique favent, dum idoneos Clericos inveniunt, quos Episcopus in iis instituat. Tum relictis verbis Gratiani, concludit: "Numquam verò dixeris, auxilium, licet manus infringere libertatem.

Verum diceret Auctor hic, si patroni id unum vellent, aegerentque, ut Episcopo adiutores accederent pro invenendis idoneis Sacerdotibus. At plus juris jam pridem praetendunt, & hodie praetendunt Patroni. Credunt quippe sibi non tantum esse jus invenendi idoneos Sacerdotes, eosque simpliciter Episcopo Ordinandos vel instituendos offerendi, ut de cetero liberum sit Episcopis eos recipere vel repellere, sed ita sibi nominationem seu praesentationem competere, ut à se nominatos ordinare aut instituere Episcopus teneatur; nisi eos absolute idoneos ostendere queat. Et quidem jam pridem in citato Can. 32. ex Concilio Toletano IX. hujusmodi Fundatorum jus supponi videtur. Dicitur enim: "Quod si spretis ejusdem (Ecclesiae) Fundatoribus, Rectores ibidem praesumpserit Episcopus ordinare, & Ordinationem suam irritam noverit esse, & ad veterendam suam alios in eorum loco (quos iisdem ipsi Fundatores condignos elegerint) ordinari.

VIII. Hodie Episcopos atringi instituere praesentatos à patrono.

